

**Dissertatio inauguralis de influxu athmosphaerae in corpora organica ... /
submittit Joannes Bapt. Nemecz.**

Contributors

Nemecz, Johann Baptist.
Universität Wien.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Vindobonae : Ex Typographia Ignatii Grund, 1784.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b8x7bydd>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>


7.
0
DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
INFLUXU ATMOSPHERAE
IN CORPORA ORGANICA,
QUAM
ADNUENTE INCLYTA
FACULTATE MEDICA

IN
ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PRO GRADU DOCTORIS SUMMISQUE IN
MEDICINA HONORIBUS, AC PRIVILEGIIS
OBTINENDIS
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

JOANNES BAPT. NEMECZ,
STIRUS LUTTENBERGENSIS.

*Disputabitur in Universitatis palatio
Die Mensis MDCCLXXXIV.*

VINDOBONAE,
EX TYPOGRAPHIA IGNATHI GRUND,
IN AULA S. CRUCIS.



ILLUSTRISSIMO DOMINO
MICHAELI JOSEPHO

S. R. I. COMITI

AB

ALTHAN,

L. B.

IN GOLDBURG ET MUHRSTETTEN,

PERPETUO

INSULAE MUROKÖZ

DYNASTAE,

S. R. I.

HAEREDITARIO PINCERNAE,

I. COMITATUS SZALADIENSIS


SUPREMO AC PERPETUO

COMITI,

NEC NON

SAC. CAES. REG. MAJESTATIS

CAMERARIO.



ILLUSTRISSIME DOMINE
COMES!



Grati animi officium exposcit, ut Tibi, Illustrissime Domine Comes, tenuem hanc opellam, in signum perennis meae devotionis, prae aliis omnibus offeram. Singulare, & haëtenus, quod sciam, in Regno Hungariae haud auditum est beneficium illud, quod Tu Populo Tuo, Insulam Muranam Tuis, Tuorumque Illustrium Fratrum Comitum, Joannis, Francisci, & Maximiliani ab Althan, juribus obnoxio, contulisti. Videbas nem-

pe ac Tuismet ipse oculis specta-
bas, quam misere plurimi in opti-
mo saepenumero aetatis flore u-
triusque sexus incolae tantum ideo
praecoci morte intereant, quod nul-
lo domestico Medico provisus, qui
opem ferre posset, adfuerit nullus.
Videbas haec, & ut nobile, tener-
rimumque Tibi cor natura finxit,
intimis animi sensibus commoveba-
ris. Itaque Tuo potissimum hor-
tatu praestantissimus Oppidi Le-
grad Curio Petrus Berke permo-
tus est, ut pulcherrimum, nullisque
satis

*satis laudibus extollendum opus,
quod dudum animo moliebatur, ad
finem perduceret, & Medicum Dy-
nastiae Muranae perpetuis tempo-
ribus praesto futurum, Augustissi-
mo Imperatore, & Rege Josepho II.
assensum praebente, egregia funda-
tione instituta constabiliret. *) Tuo*

A 4. insi-

*) Rem me Lectoribus non ingrati praestitutum confido, si quae ratio hujus tam insignis fundationis sit, ex Ephemeridibus latinis Vindobonensibus die XIII. Aprilis a. c. editis verba ipsa isthuc transtulero, quorum tenor sequens est:

„Petrus Berke, sacer Curio Legradiensis in Comitatu Szaladiensi, cum 20 annorum, quibus animarum salutis operam navabat, experientia didicisset, multos de plebe in tractu insulae Muranae, Hungaris Mura-Köz dictae, in quo praeter complura oppida 100 & amplius pagi sunt, praematura morte occumbere, hac potissimum
de

*insigni pro salute publica studio fa-
ctum est, ut non modo Tu, sed
Fratres etiam Tui, omnes patriis
virtu-*

de causa, quod nullus toto eo in tractu Medi-
cus adesset, Comitatus autem Medicus Egerszegi-
ni degeret, ac proinde diei unius itinere inde
distaret, amore illius populi permotus facultates
suas longa parsimonia comparatas ad constituen-
dum Medicum destinavit. Eum in finem Litteras,
quas fundationales vocant, condidit, quibus &
rationem instituti hujus & quid a Medico prae-
stari cupiat, exponit.

I. Summam 5000 florenorum instituto huic
adsignat, & Familiae Comitum ab Althan, quo-
rum dynastia insulae Muranae sive Csák-Tornya
est, in perpetuum ejus curam committit.

II. Eidem Familiae jus deligendi Medicum in
perpetuum attribuit.

III. Medicum ejusmodi delegi vult, qui in
aliqua scientiarum Universitate Caesarearum ac
Regiarum terrarum Doctoris gradum obtinuerit,
praxim necessariam subiverit, & proborum mo-
rum testimonium exhibuerit, praecipue autem
si linguae Croaticae in eo tractu vigentis cogni-
tionem habuerit.

*virtutibus clari, & ad magna na-
ti, praesertim vero Excellentissima
Comes Vidua Juliana, avito, ce-
A 5 lebri-*

IV. De Medici sustentatione & habitatione agit.

V. Medici officia exponit, quorum praecipua sunt: ut omnibus pauperibus non minus quam ditioribus, aequali cura & studio subveniat; ut omnibus etiam pauperrimis placidas aures praebet, ac talia, qua licebit, praescribat medicamenta, quae ipsi vel domi parare, vel saltem levissimo pretio comparare possint; ut ad eos, qui eum accedere nequeunt, ipse adeat, & omni trimestri tempore oppida singula pagosque obeat, aegrotis, si quos invenerit, medicamina praescripturus; ut, si morbus epidemicus inter homines vel etiam inter pecora alicubi oriatur, ipse eo properet, in causas & remedia mali sedulo inquirat, & quae opportunissima reperit, & ipse adhibeat & e suggesto promulgande curet; ut denique diem certam qualibet hebdomade constituat, qua domi reperiri possit, & dum ea abest, locum, ubi quaerendus sit, indicet.

VI. De pharmacopolio in oppido Csák-Tornya condendo agit, in quo ejusmodi medicamenta adsint, quae simpliciora sunt, & leviori pretio comparari possint.

VII.

*lebrigue Comitum de Wildenstein
stemmate prognata, Mater Vestra,
Matrona omni virtutum genere ex-
cul-*

VII. De Chirurgis in pluribus pagis constituendis differit, & quam inter hos & Medicum intercedere rationem necesse sit, exponit.

VIII. De obstetricibus agit, &, ut Medicus scholam de arte obstetricia aestatis tempore aperiat, ad quam e pagis omnibus feminac mittantur, constituit.

IX. Quibus in casibus Medicus a munere suo amovendus sit, docet.

Quantopere pium hoc & utilissimum institutum Familiae Comitum ab Althan probatum fuerit, e litteris, quas Comes Jos. Mich. ab Althan supremus Comes Comitatus Szaladiensis ad memoratum sacrum Curionem dedit, conjici facile potest, quarum haec est sententia: Non mediocri cum voluptate se pium sane & laudabile ejus consilium stabilem in insula Murana Medicum constituendi intellexisse. Non posse se non testatum facere, quantopere factum hocce, quod & Szaladiensi Comitatu, cui suprema cum potestate praesit, honori, & sacro etiam Curioni laudis jure merito cedat, tum sibi tum universo Comitatu probetur, & quam ipse, ut dynasta Insulae

*culta, Pio Sacri Curionis Legradien-
sis Instituto non levem accessionem
feceritis. Tuae denique pietati Mu-
ranus*

lae Muranae, pium hoc institutum, quod potif-
simum ad commune bonum miserae opeque me-
dica destitutae plebis spectet, omni studio ac
opera adjuvare ac provehere conaturus sit. Eam
ob rem, cum annum designatae a sacro Curio-
ne summae fenus sustentationi Medici nondum
sufficiat, se Fratresque suos, adnuente etiam
Domina Comite demortui Patris sui vidua, in id
conspirasse, ut non modo e suis proventibus an-
nui 200 floreni adjicerentur, sed etiam libera in
oppido suo Csák-Tornia habitatio Medico in
perpetuum attribueretur. Ceterum se, prout
sacrum Curionem ob egregium hoc factum non
modo, pro eo ac par est, maximi faciant, sed
diligant etiam, ita magnopere gavisuros, si pro-
pensam suam voluntatem opere ipso illi testari
licuerit.

Augustissimus Imperator & Rex propositum sibi
institutum istud non modo benignissime compro-
bavit, sed diplomate etiam Regio in perpetuum
confirmavit, simulque sancivit, ut praeter Fa-
miliam Althanianam Comitatus etiam Szaladien-
sis,

vanus populus debet, quod jam in
promptu habiturus sit virum, arte
medica excultum, a quo in omni
morborum genere consilium & opem
fidenter non modo expetere, sed
jure quoque exigere possit. Haec
vero Beneficentia Tua, quam innu-
merabili pene Populo Murano ex-
hibes, in me quoque plenis alveis
derivatur. Nam quod illa in pro-
vincia primus novum hoc Physici
munus

sis, & Consilium Regium Locumtenentiale supe-
riorem ejusdem inspectionem gererent.

Paullo prolixius haec enarranda duximus, quod
speremus, eximio huic Pastoris sacri quam plu-
rimis benefaciendi studio ac exemplo imitato-
res haud defuturos.

munus obtinuerim, Tibi potissimum, in quem sacer ille Curio jus Medicum eligendi transtulit, tum Ipsi quoque grato animo in acceptis referre debeo.

Felix sane Provincia, quae in Te, Tuisque Fratribus non Dynastas, sed Patres agnoscit! Felicem & Medicum, qui dignus videbatur esse, ut in partem curarum Tuarum vocaretur! Itaque patere, Illustrissime Domine Comes, ut in Testimonium perennis meae, nulla-que aetate oblitterandae gratitudinis,

*nis, hocce opusculum, quantulum-
cunque illud sit, Tibi dedicem: spe-
ductus fore, ut non tam donum
hoc, quod quam exile sit, ipse per-
spicio, quam animum, ex quo pro-
fectum est, Tibi Tuisque Fratri-
bus perpetuo devotum metiare.*

*ILLUSTRISSIMI DOMINI
COMITIS*

Devotissimus

JOANNES BAPT. NEMECZ.



INFLUXUS ATMOSPHAERAE IN CORPORA ORGANICA.

§. 1.

Corpus humanum ad corpora organica pertinere, & varias ab illo functiones peragi, ex physiologicis patet.


§. 2.

Ergo pertinet ad machinas.

§. 3.

Sed ad motum mechanicum alicujus machinae peragendum requiritur causa aliunde accedens, haec causa externa in hominem sua elasticitate, & irritabilitate praeditum agens, audit. Vis, stimulus, causa excitans, seu procatartica.

§. 4.



§. 4.

Quidquid ergo foris accedit *) & functiones producit, sub causae hujus titulo comprehenditur: ita quidem, ut si ea motus facile constanter, & cum oblectamento producat, conservet sanitatem in variis gradibus; si vero ea ita agat: ut motus producendus, aut languens, aut cessans, aut ita exorbitans sit, ut nimia violentia organon totum destructum ulterioribus actionibus ineptum fiat, tunc laeditur actio, aut omnino tollitur, id est, oriuntur morbi, sequitur mors.

§. 5.

Hae ergo causae externae etiam conferunt ad producendam vitam, morbos, mortem.

§. 6.

Sed hae causae solae non sufficiunt, nisi machina ita praedisposita esset, ut effectus produci posset.

§. 7.

Sed hae causae praedisponentes (proegumenae) excitantesque (procatacticae,) ita inter se connexae sunt, ut praedisponentes diuturno, constantique excitantium intervallo penitus mutantur, ut excitantes quaedam corpora

*) Non loquor hic de homine tanquam rationali, sed abstrahendo ab hisce, tanquam corpus organicum considero.



pora ita praedisposita inveniant, ut vix aliquem sensibilem effectum producere valeant.

§. 8.


Hanc causarum praedisponentium, excitantiumque inter se rationem examini subijcere enitar, quantum anni ad finem prope-
rantis limites permittunt.

§. 9.

Sed inter causas universales constanterque & in omnes homines diversimode agentes, nulla mihi adeo agere videtur; ut aer, sic quidem, ut homines diverso in aere viventes aliter praedispositos adeoque aliam cum excitantibus proportionem habentes, & in vario aere alios esse homines pateat.

§. 10.

Aeris definitio & necessitas ex physicis abunde patet, nempe scimus acra, qui nos undique ambit atmosphaerae nomine simul ad omnium corporum elementa recenferi vide chemiam. Aera inspirari docet antlia. Aera cum nostris humoribus ingeri eorumque partem constitnere sub nomine aeris fixi docet physiologia. Aera praecipue vero mephiticum ad plantarum nutritionem apprime conducere docet cell. Inghenhous. Aera animalium etiam nutritioni inservire posse sagaciter arguit physiologia.



§. 11.

Aer ergo pro variis proprietatibus varie mutat corpora. Generaliores sunt: fluiditas, pelluciditas, impenetrabilitas, elasticitas, gravitas, divisibilitas.

§. 12.

Hae proprietates generales variis causis, varie modificantur. Aer fit plus minus *pellucidus* a lumine.

Calidus plus minus, seu calidus & frigidus ab igne.

Elasticus plus minus ab igne, ab electro, ab aqua, *gravis, densus*, plus minus a frigore, corporibus terrestribus vaporum forma assurgentibus, in illoque fluctuantibus. Fluidus plus minus a partibus aquosis, calore &c.

Scholium. Sed hae causae in aera ita agunt, ut aut una; aut plures simul praesentes varias producant aeris mutationes, ita ut in uno loco his, in alio aliis mutationibus existentibus eodem tempore diversa sit atmosphaerae conditio, ut fit aer calidus siccus, calidus humidus, frigidus, siccus, frigidus humidus. Venti, pluvia, tempestas serena &c. docent hoc Meteorologi.

§. 13.

Notissima media, quae docent aeris mutationes haec sunt: *Barometrum*. Docet gravitatem, elasticitatem, pro vario poli altitudine, plerumque etiam tempestatis signum.

Eas-




Easdem mutationes docent homines irritabiliores, gravitatem & densitatem aeris exacte conquerentes sentiunt. Monticolae, si in valles descendant aegram vitam vix bajulant.

Thermometrum. Notissima sunt, Fahrenheitianum, & Reaumorianum docent calorem, frigus: sentiunt omnia animalia, haemorrhagiae juvenum calida tempestate frequentiores. Docet fontium non perennium exsiccatio.

Hygrometrum. Docet humiditatem, siccitatem, idem docet spongia, quae cum alio corpore in aequilibrio posita aere humidior corpore siccum gravitate superat; siccior elevatur: Docent quorundam aedificiorum muri guttatim stillantes, notum vindobonensibus exemplum, ex quo pluvias praedicere solent; docet impedita animalium perspiratio, morbi varii infra recensendi.

Endiometrum. Docet qualitatem, id est, bonam, puram, impuram. Exactissimae scale sunt: illa Fontanae, Inghenhouffii in tam tenues partes divisa, ut & levia discrimina indicare possit. Docet luminis in aere puro laetissima radiatio: contra vero subita in impuro extinctio, patet, ex physica respiratio in aere phlogistico impossibilis, docent animalia huic aeri inclusa, docent hominum



coetus in angustis ergastulis coerciti, docent Metallurgi saepe unico afflatu suffocati.

Electrometrum. Docet copiam materiei electricae in atmosphaera contentae. Docent perticae acuminatae ad palatia magna a fulmine defendenda in summitatibus erectae, docet & ignis S. Helenae, S. Viti, aliisque nominibus veniens, veteribus Castor, & Pollux, in navium malis scintilans, nautoribus signum tempestatis futurae; malum, si in uno tantum malo appareat; bonum, si plures simul navis partes a scintillis electricis lambantur. Vide Horatium Virgilio cyprum proficiscenti precantem:

Sic te fratres Helenae lucida sidera

Ventorumque regat pater:

Docent tonitrua, fulmina &c.

§. 14.

Hae qualescunque mutationes iterum in variis globi terraquei locis, & vario anni tempore, & pro variis causis particularibus aliam induunt faciem.

§. 15.

Loca terrae obtutu quodam, quantum potero, intuebor.

§. 16.


Ceteris paribus aer eo calidior est, quo radiorum solarium in terram incidentium anguli

guli magis ad rectos accedunt, & vice versa, quo radii acutiori ad terram angulo incidunt, eo minor est calor, id est: eo intensius frigus, sed ex geographia patet, solis radios in varia terrae loca sub vario angulo incidere, ergo in diversis terrae locis diversus aeris calor.

§. 17.

Ad hunc quodammodo determinandum mensuram tentavit geographia, physica, astronomia, ita: ut is terrae tractus inter mediam terrae partem obcingens (Zonae nomine, ultra quam sol motum suum) ut adfucto systematis Ptolomai stilo utar, nunquam ulterius urget; Zona torrida appelletur.

Ex utraque vero parte sequitur una collateralis Zona, a tropicis ad circulos polares usque protensa Zonae temperatae una arctica, altera antarctica, seu borealis, australis, has ulterius excipiunt duae; una borealis, altera australis, a circulis polaribus, ad polos ipsos Zonae frigidae. Sed cum calor a summo sub aequatore caloris gradu ad tropicos polos versus non pro his circulis subito, sed sensim ac sensim, per infinitos gradus intermedios diminuatur, astronomi praeter hos circulos alios per omnem decimum meridiani gradum ductos ad variam ab aequatore



distantiam, id est, loci latitudinem indicandam excogitarunt. Aliaque mensura habetur, pro varia cujuslibet loci diei longissimi diurnitate; nam sub aequatore dies noctesque plerumque aequales, ab hoc ea variatio ita fit: ut quo major sit loci latitudo, eo major sit longissimi diei excessus, successive procedendo, ut poli ipsius dies longissimus sit 6 mensium. Hanc differentiam ita in usum traxere, ut ea loci latitudo, ubi excessus longissimi diei dimidia hora est; audiat clima: liceat mihi hoc appellare clima physicum. Nobis vero usus invaluit, ut omnem situs, caloris, frigoris aliorumque in regionibus variis differentiam latiori sensu clima appellemus.

§. 18.

Sed eadem loca in eadem Zona aut climate posita non semper eundem cum sole angulum, adeoque nec aequalem caloris gradum habent, sed quodlibet clima variat pro terrae circa solem, & circa axim proprium motu, ut quilibet locus determinatas habeat stationes.

Tempus motus ipsius circa solem annum, illud vero circa axim diem, noctemque appellant. Unde diversus atmosphaerae calor pro anni tempore diversus interdiu noctuque.

Zonis

Zonis torridis duae aestates, & duo tempora temperata. *Zonis* temperatis, una statio est temperata prima: *Ver* calida; *aestas*, temperata secunda: *autumnus*, frigida *hyems*. *Zonis* frigidis una temperata, 6 mensium anni tempus diesque, altera rigidissima: *hyems* noxque, licet lucidior quam aliis *Zonis*.

§. 19.

Ex his ergo differentiis illas primo consideremus, quae ex diverso climate oriuntur.

imo. Plantae climati torrido indigenae, coelum nostrum aut omnino non ferunt, aut non nisi in caldariis fotae, fructum raro ferunt maturum, saepe nullum, saepe immaturum. Innumera essent exempla, serviant quaedam v. g. *Basella alba*, *sterculea*, *cacalia*, *kleinia musae*, *Bromeliae*, *Mesembryanthema*, & aliae plantae fructum quidem gerunt, sed in secunda, tertia, quarta generatione degenerant, prout in melius aut deterius clima transportantur; contra plantae nostrae in zona torrida exsiccatae marcescunt.

Scholion. Cultura quidem multum mutat, sed saepe superhabita omni industria varie degenerant plantae, sic vites viniferae fors omnes ejusdem matris soboles ex Asia in varia terrae climata quasi temperatocalida transportatae infinitas vinorum praebent differentias, quae etiam piri, mali discrimina licet observare. Quam di-



versae sunt rosae, ejusdem rosae caninae furculi?
quae diversitas tritici in Germania, Polonia.

§. 20.

Sed varia climata non tantum plantarum
differentiis, sed etiam varia earum copia,
id est, fertilitate a se abludunt; exempla in
promptu sunt: Tristia Sarae, Arabiaeque de-
serta fabuli patria, continuo solis ardore ex-
usta, plantas producant paucissimas, eas-
que etiam saepe tristissimas. Linæi philos.
botan.


Sed mirum, quod eae sint adeo succulen-
tae per Africam, v. g. Crassulae, feda, sem-
perviva, aloe, yuccae, aletres, agave, cum
hae potissimum sicca, saxosa loca ament?

In climate temperato felici Asia, & non
adeo inultum cedente Europa, quam laeta
vegetatio exornat primum ver, quam onusta
seges gravat aestatem, & quam largus fructus
autumnus locupletat! contra vero in Yslan-
diae, Sueciae, remotioris Laponiae, Groenlan-
diae, novae Zemlae regionibus continua gla-
cie induratis, tam avara seges, ut harum
regionum incolae ex meliorum defectu inte-
riori arborum cortice (libro) piscibus in fa-
rinam contritis, aliisque nostro palatui minus
adridentibus contenti esse debeant.

§. 21.

§. 21.

Magna pars culturae artis hortulanae, oeconomiae plantas eatenus mutat, quatenus iis aliam ternam, aliud quodammodo clima assignat, sic oeconomia agrum nimia siccitate sterilem in fertilem commutat; dum fruticetis, sylvis, lucis, sepibusque vivis huic campi tractui salubrem, & foecundam humiditatem inducit, & vice versa, loca paludosa, depressa, inter nimias sylvas solis accessui, impervia, frigida humiditate non producant, nisi plantas acres, saepe venenatas. Linæi philos. botan. si vero sylvae nimiae excendantur, paludes exsiccentur, novum quodammodo clima inducitur, multo temperatius meliores plantas generans. Exempla prostant in Germania, quae olim teste Tacito horrida coelo &c. verbo tam frigida erat, ut romani exercitus Rhenum quotannis glacie ligatum invenerint; hoc vero tempore Germania calidior est, totumque diversas plantas producit, ut eam propius ad aequatorem accessisse diceret; idem sentiendum de Hollandia, & Britannia, quae licet septentrionem versus sita non minus jucundissimis praediis superbit. At mihi objiceret quis: plantarum natura & copia a soli natura dependet; non inficias ivero, sed simul etiam




considerandum est, quod natura terrae etiam in diversis climatibus diversa sit, videmus enim in Indiis aliud esse solum, alia mineralium producta, docent margaritae luxus per omnem mundum propagati invidia. Cum mare sit salsum inde etiam ejus atmosphaera & vicina littora salsa fiunt. At in regionibus septentrionalibus alia terrae producta; crystalli affatim hoc docent, quae saepe ad columnarum moles integras cryptas subteraneas suffulciunt.

§. 22.

Sicut in regnum vegetabile ita etiam in animalia climatis vis suum exercet dominium. Zonam frigidam non fert elephas, in ea obtorpet Leo, Tigris, panthera, aegre eam fert simia, has inter difficillime Ourangoutang, perit crocodilus, serpentes nec eam corporis magnitudinem, nec eam ferocitatem obtinent. Camelus Dromedarius non fert, sed per plures dies sole urente per candentia Africae sabula indefessum citissimum cursum profectur, e contrario ursus, arctos, & meles amat loca septentrionalia, quod & de lupo intelligendum, talpa aerem subterraneum sibi eligit, ursus, alcae, Germaniae, & Britanniae olim incolae ob destructas sylvas, & inde clima mitius redditum, ut (§. 21.) dictum.

Ex



frigida Pomerania, ubi hyemem egerant in mitioris Silesiae, Bohemiae regionibus, & quidem aestate trajectis funesta dysenteria saeviit. Et si etiam non mox morbo vehementi corripitur extraneus, saepe in chronicos incidit, ut Angli, Batavi Indiae thesauris adlecti opibus & atra bile non raro onusti redeunt. Transeat tenellus mitiorum climatum incola in regiones paullo asperiores, borealem afflatum sine noxa ferre non poterit, ut Gallorum exercitus in Germania, & Bohemia non mediocri strage experti sunt. Vulgaris opinio est, nec adeo male fundata juvenes in alias regiones profectos morbis plurimis esse expositos, eosque incrementum solito citius capere.

§. 25.

Sed id clima quod subito mutatum, causa solet esse morbi, hominibus adfuetis indigenis hos funestos effectus non producit, unde Aethiops (Nigrita etiam dictus) Guineus, sub aspero sole aequae sanus, vivit, ac Lapo, Groenlandicus, Sibiricus sub dura hyeme.

Nam calor corporis nostri sensim atmosphaerae constitutioni attemperatur, ut nullam noxam inde experiamur, successive crescente aestatis calore eum aestus gradum impune ferimus, quem hyberno tempore ex rigidissi-

gidissimo frigore in cubiculum eodem gradu calefactum subito ingressi sine apoplexiae metu subire non possemus?

§. 26.


Cum ergo eadem causa in diversis climatibus constanter agat, funestos effectus quidem non producit, sed non pauca diversarum nationum discrimina.

§. 27.

Potissima sunt *color, temperamentum, corporis incrementum, status, pubertas, statura, robur, longaevitas, fibrarum elasticitas, irritabilitas, ingenium, animi affectiones, pathemata, virtutes, vitia, morbi endemici.*

§. 28.

Color his intra tropicos degentibus v. g. in insulis Bornea, Sumatra, Java, Ceylon, in maxima Africae parte, vastissima Aethiopia, Abessinia, Guinea, quibus radii solares omni ferme anni tempore sub angulo ad rectum proxime accedente incidunt: color niger cum capilis nigris plerumque crispis adeo naturalis est, ut Deum nigrum, cacodemonia album existiment. Pro majori sensim ac sensim ab aequatore distantia is decrescit continuo in fuscum, in regno Mogolis, Persia, variis Armeniae regionibus,
in



in livido flavum in regno Sinarum. In rufum in potissimis Americae regionibus. In brunocastaneum in Tartaria, Italia, Hispania, Lusitania capillis plerumque nigris. In aliquot Armeniae regnis in plus minus album, cum roseo in Armenia, Georgia, Circassia pulchritudinis famosa patria, in Germania, Gallia capillis plerumque castaneis. In sensim lucidiorum in Germania boreali nimirum in Silesia, Borussia, Saxonia, Westphalia, in Britannia capillis pallido flavicancibus, & sic septentrionem versus procedendo, donec in ultimis boreae regionibus nil nisi ursus, & quidem ursus albus adpareat.

Hoc quod de haemisphaerio arctico dictum, valet etiam de antarctico.

§. 29.

Quod vero radiorum solarium excessus non impotens sit coloris in corpore humano ratio, bene norunt rustici aestatem sub diu potissimum agentes, norunt urbani aestate rusticantes obscuro colore deformati, donec iterum aere hyberno, oppidanoque pristinum colorem recuperent. Omnium vero optime novit sexus sequior, qui pulchritudinis amore solem cautissime evitat, ne splendentem faciei nitorem contaminet, si ergo una aestas

stas in climate temperato eam coloris metamorphosim inducere valet, quid continua ferre in zona torrida aestas eaque fervidissima producere valebit?

§. 30.

Haec vulgaris observatio optime consentit cum philosophorum principiis, qui sciunt corporibus praecipue vero fluidis pro varia compactione, inspissatione varium colorem induci: Confirmant hoc tinctorum decocta, nigricantia, quae ad certum quemdam gradum inspissata profundiori nigro tinguntur, sciunt Physiologi tenuissimos in corpore nostro humores pellucidos, limpidos esse, (lympham adpellant) paullo crassiores flavescere, (serum dicunt) magis condensatos rubros esse, (cruorem dicunt).

Unde vasa rubra cum serosis & lymphaticis gratissimum pulchritudinis juvenilis spectaculum praebent, germanico proverbio lac & sanguis. Norunt praeterea humorem arteriosum esse floride rubrum, venosum vero a secretionibus variis multum inspissatum nigricantem esse. Si ergo omnes humores in climatibus calidioribus sunt magis compacti, erunt etiam colores profundiores, unde etiam humores secreti debent esse profundius colorati, quam in temperatioribus; potissime vero



vero humores secreti sub epidermide constituunt, erit ergo rete Malpighianum in his obscurus ratione secretionis, nunc vero dum continuo ardore sudores sint crebriores, largioresque, aquosa magis deperduntur relictis oleosis, sed quo spissiora sunt oleosa, eo ceteris paribus profundius tincta, ut in destillationibus chemicis, quo saepius destilles, eo profundior est olei in retortae fundo relictus color. Hoc rete Malpighianum magis fit obscurum, sed scimus hunc colorem potissimum dependere a reticulo Malpighii, ut cels. Profess. Anat. Barth in colleg. anatomico in praeparato Aethiopis publice monstravit.

§. 31.

Ratione temperamenti. Temperamentum est conditio haerens in tota compage totius corporis constantis ex solidis & ex fluidis.

Haec ut idiosyncratica singularis est. Inter tropicos habetur cutis nigra, glabra, ut coecus natus tactu explorans corpora nigra subtiliora dixerit. Pili nigerrimi crispi macilentia siccitas vasa stricta, macria, humores densi, tenaces, sed haec est imago temperamenti melancholici, & ficci, vide Boerh. institut. §. 892. & 896. ea zonae torridae vis tanta est, ut non solum Nigritae Indi se accomo-

comodent, sed etiam Batavi, Britanni, alique zonae temperatae incolae ex Indiis reduces per reliquam vitam manent melancholici, & atrabilarii. Suadet his Boerh. humectantia, refrigerantia, laxantia, emollientia. Sed natura in his regionibus huic indicationi satisfactura, produxit fructus dulcissimos, succulentosque, totam palmarum familiam, sed saepe in his regionibus corpora sunt nimis debilitata, vis coctrix nimio calore adeo dejecta, ut corporibus pereundum esset, nisi natura praeter fructus dulces refrigerantes produxisset simul dulci stimulantibus: aromata ventriculum gulamque excitantia.

§. 32.

Quibus pili copiosi, nigri, crispi, quibus durities, macilentia, gracilitas, carnis color fuscus, venae magnae, pulsus magnus, celer, quibus pertinacia, & iracundia his a Boeth. tribuitur temperies biliosa: sed haec est imago Chinesium, Tartarorum, Italarum, quodammodo Hispanorum, Lusitanorum, Croatarum. Cum his sit major solidi, quam humidi copia suadet Boerh. humectantia, refrigerantia, unde natura sagax producit optimos fructus antibiliosos, antisepticos, antiphlogisticos, v. g. Aurantia, citra, melones, ficus

C

&c.



&c. In Hispania, Lusitania, Italia, Mesopotamia, uno Asiae altero Europae paradiso.

§. 33.

Quibus pili rariores flavo albi, fusci, caro mollis copiosa, venae amplae, coeruleae, sanguine distentae, color roseus, iracundia, flexilis mobilitas apud Boerh. sanguinea temperies audit. §. 894.

Et quibus pili flavi, crassi copiosi toto corpore, color oculorum in alba parte rubescens, in carunculis lachrymalibus facie, labiis valde ruber, corpus gracile, agile, robustum, calidum, pulsus major, crebrior, iracundia, sed brevi furore detonans, a Boerh. tribuitur temperament. calidum. Sed utraque haec imago convenit his in regionibus temperatis v. g. Armenis Georgianis, Germanis australibus, praecipue vero Gallis, quos nota animi flexilis mobilitas ubique notos reddit, suadet illis evacuantia, & temperantia, his humectantia, diluentia, temperata; prohibet ambobus calefacientia. Sed in his regionibus plantae ita factae sunt succulentae austerae, ut humorum copiam & qualitatem debitam corporibus robustioribus praebere possint. Unde his in regionibus fructus horrei dulces avare crescunt.

tentorum, quo major est calor corporum, eo validior est motus intestinus, eo citior fit particularum evolutio, quo citior fit particularum evolutio, eo citius est incrementum, quod patet ex physiologia de incremento foetus, & gallinacei pulli. Sed videmus omnia in climatibus calidioribus citius crescere, tardius in temperatis, tardius in frigidis, sed quo citius est incrementum, eo citior ejusdem terminus, id est:

§. 36.

Status attingitur; cum pubertas plerumque nisi perversis moribus stimulata statum incrementi pleno vigore comitari soleat, patet etiam, si incrementum & status maturior sit in climatibus calidioribus etiam

§. 37.

Pubertatem citiorem esse, unde Indorum Persarum sexui sequiori menstrua 9no aetatis anno. Italis 11. 12. nostratibus 14. 15. propullulare solent, frigidioribus robustioribus tardius.

§. 38.

Ratione proceritatis, roboris, quo citior est incrementi pubertatisque decursus, & quo minor vis extricans particulas, eo minor manet corporis structura & robur, contra vero si vis motus intestini, a calore pro-

producti sit satis potens, nec tum ita exurens, ut nimis cito decurat, major erit proceritas roburque: utrumque observationibus constat, in climatibus nimis calidis corpora manent pusilla, gracilia, exsucca, & in climatibus frigidis v. g. in Laponia vix trium quatuorve pedum altitudinem attingunt homines. At vero in mitiori Asiae climate omnia laetiora, majoraque fiunt, quod de plantis patet, Linnaei phis. botan. & quod clare de hominibus differit Hippocrates p. 288. de aere locis & aquis: „Longe omnia pulchriora & majora in Asia gignuntur, regioque ipsa mitior & hominum mores humaniores & benigniores, quorum quidem causa est tempestatum anni temperatio: cum in medio solis exortu, ad auroram sit exposita a frigore longe procul remota, incrementum autem & moderationem omnium maxime praebet, cum nihil sit, quod per vim superet, sed omnium sit aequabilis potestas. Neque tamen ubique per totam Asiam ad eundem modum se habent omnia, sed quae quidem regio in medio calidi, & frigidi sita est, ea certe feracissima est, & arboribus maxime consita, & blandissima” &c.

Idem quod Hipp. de Asiae, nos de Europae, Americaeque regionibus temperatis jure dicere possumus.



§. 39.

Ratione longaevitatis. Ex physiologicis patet, quo citior est incrementi decursus eo citius solida cum fluidis in aequilibrium ponuntur, id est: eo citius advenit status, sed quo citior est status, eo citius solida praevalent, quo citius solida praevalent, eo potentius superant vim fluidorum, quo potentius vim fluidorum superant, eo magis contrahuntur ratione longitudinis & luminis, & tandem multa adeo contrahuntur, ut ulteriorem fluidorum influxum prohibeant, unde abolentur, quo intelligitur decrementum & inevitabile senium, sed

§. 37.

Constat in regionibus calidioribus, pubertatem, statum maturiorem esse, ergo erit etiam citius decrementum, magis festinat senium, quod docent observationes; nam in zonis calidioribus sexagenarios & septuagenarios reperire rarum est, in temperatis rarum est invenire octuagenarios, sed non ita rarum in climatibus frigidis invenire centenarios. Vide Linnaei Allgemeines Thierreich nach dem Houttnischen Werke von Statius Müller, Nürnberg.

§. 40.

Ratione elasticitatis: irritabilitatis. Quo major est corporis gracilitas, & tenuitas, eo aptius evadit ad omnes mutationes ab impressionibus externis, eo citius se reponit in statum suum, unde corporum intelligitur elasticitas, ejusque major gradus irritabilitatis; sed satis notum est ex legibus commercii, quod intercedit corpus inter & animam, quo magis elasticum, & irritabile sit corpus, eo citius, eoque vividiores, eo plures in mente ideas excitari; & contra quo tardior, frigidiorque est sanguis, quo mollior est solidorum compages, eo tardior obscuriorque mentis conditio, unde etiam intelligitur differentia.

§. 41.

Ratione ingenii, quod summum esse videmus Graecis, Italis, nec nihil Gallis, sed tardius Germanis, Anglis, quibus ingenii loco profundam rerum cognitionem largitur improbus labor.

§. 42.

Ratione animi pathematum ex §. praecedenti patet, ingenium majus esse calidioribus, unde plures vividiores, citiores ideae, si citiores ideae, eo major idearum inter se comparatio, quod appellant ingenium; sed



quo citior idearum inter se comparatio, eo plures novae finguntur imagines, id est, vividior est imaginatio, unde tanta Orientalium, etiam Turcarum, Graecorum, Italorum poesiae sublimitas; sed si adeo fervida est imaginatio, nulla res repraesentatur, nisi aucta sive bona, sive mala sit. Unde quidquid his adparet, aut videtur esse summum bonum, aut summum malum, inde tanta horum ingeniorum desideria rationi non cedentia (animi Pathemata) si tanta sunt desideria, omnes actiones instituunt ad bonum adparens obtinendum per fas, & nefas, inde tantae Italorum virtutes, tanta etiam vitia.

Contra, ubi clima est frigidius consequenter & aer densior, tardus humorum motus, crassa, laxa solida, fibrae item crassae quaecunque impressiones fiunt externae, fiunt tardiores, impressiones nisi violentiores vix excitant imaginationem noto Anglorum exemplo, quorum nisi tragediae, homicidiis, veneficiis, funeribus copiosis horreant, vix excitatur imaginatio, ubi Italus nugis quibuscunque excitatur. Ex hac ingenii tarditate vix aliquid placet, nisi quod saepius in mentem egit, id est, quod bene perpensum est. Unde moderatiora sint animi Pathemata rationi cedentia. Sed si diu attente perpendit, tunc potissimum uni rei inhae-

inhaeret, non distractus recentibus advenientibus, inde tanta Germanorum, Anglorum constantia, tam in studiis, quam etiam in actionibus, inde profundi philosophi, inde bellicosae gentes, licet calidioribus ingenio multo inferiores.

§. 43.


Ex his simul sumptis oritur character nationalis olim ante commercia, & itinera facilius distinguendus, quam hodie, ubi commercia, itinera potissimum vero scientiae, regiminis formae Europam ita direxerunt, ut difficile sit, characterem nationalem tam bene distinguere ac olim.

§. 44.

Ergo per diversa climata corporibus conciliati alii colores, alia temperamenta, aliae solidorum fluidorumque conditiones, diversa corporum robor, proceritates, irritabilitates, diversa ingenia, animi pathemata, virtutes, vitia, jam sunt quasi ultra mediocritatem, si sunt ultra mediocritatem, jam proniora sunt ad functiones praeternaturales, id est: proniora sunt ad morbos in his climatibus ad hos, in aliis ad alios.

§. 45.

Essent hic recensendi morbi a climate dependentes, sed cum non tantum clima a



latitudine; sed etiam ab accidentibus mutationibus & anni tempore, aer mutetur, horum catalogum praemissis accidentalibus & anni temporibus subjungam.

§. 46.

Praeter climatis a latitudine dependentem differentiam, sunt aliae non ex regulis universalibus, sed ex chorographia, quam Hippocrates Medicis in aliam civitatem proficiscentibus adeo commendat, discendae. Hoc videmus in Picco monte, in montibus Cordilleras, qui licet in Zona torrida siti, non minus perpetua nive canescunt. Vinum cujus maturatio, non leve felicitis climatis argumentum est, saepe crescit generosum in regionibus ab aequatore remotioribus, non crescit in aliis australioribus, exemplo sit Helvetiae pars australis, quae praeter armentorum pabula, oleraqua vix quidquam profert, ubi pars borealis, & vicina Burgundia vina celeberrima excoquit, praeterea vina Marchionatus Badensis & Rhenana licet magis septentrionem versus excocta, etiam austriculis in deliciis sunt.

§. 47.

Sunt ergo aliae causae, quae has mutationes inducunt, particulares, seu accidentales nuncupari liceat.

§. 48.

§. 48.

Potissimae sunt loci altitudo, situs depressus, montes, planities, sylvae, regiones nudae, aquae, siccitas, venti, influxus plantarum abundantium, pluviarum, castrorum, Nosocomiorum, coemeteriorum influxus a lunae phasibus, aliisque planetis dependentes.

Scholion. Sed ne quis putet, me astrologorum superstitionem sectari velle.

§. 49.

Altitudo loci. Quo major est altitudo loci, eo majus est frigus, & vice versa, unde nivibus teguntur Pico mons Caucasus, Carpatus, montes atlantici, & his correspondentia cordiliarum perpetua juga, *Alpes*. Praeter hos sunt alii montes, maxima saltem anni parte nive tecti ut vicinus Austriae Caesius, Stiriae, Tyrolis, Helvetiae montes humiliores qui non nisi imminente solstitio aestivali, nivibus liquefactis ingenti aquae vi obrunt regionum subjectarum lacus, & flumina praetereuntia v. g. Rhenum, Danubium, Dravum, Savum &c.

§. 50.

Situs depressus regiones depressae plurimae sunt, quarum circumjecti montes glacie
squa-



squalent ut Tyrolis, Galliae delphinatus, Hungariae pars carpatiis montibus adjacens.

§. 51.

Ratio in promptu est, quo depressior est loci situs, eo densior est aer, sed quo densior est aer, eo plures radios solares absorbere potest, quo plures radios solares absorbere potest, eo majoris caloris capax est; praeterea terra ipsa ad certum quemdam gradum calefacta radios reflectit, communicat aeri vicino, ut patet, quod vites in australi aedificii muro cultae citius maturas uvas ferunt, quam cultae in libero aere. At vero quo major est altitudo, eo major est raritas, eo pauciores radii absorberi possunt, quo pauciores radii absorberi possunt, eo minoris caloris capax est iste aer i. e. eo frigidior erit.

§. 52.

Montes, hi siti sunt vel austrum vel boream versus, unde si ad austrum siti sunt, impeditus est radiorum solarium accessus, unde regio umbrosa, frigida, sed simul etiam Notus humidum aerem adferens hinc pervenire directe non potest: contra vero hic ventus boreas semper siccus directe huc appellit, unde, simul est sicca regio, hujus ergo aer est frigidus siccus. Homines robusti

busti fufius ab Hippocrate defcripti. De aere locis, & aquis. Si vero montes boream ver-
fus fiti funt, ficcus boreas arcetur, fed adi-
tus patet humido aultro, regio incalefcit, a
radiis folaribus appellentibus a monte refle-
xis, cujus rei tanta vis eft, ut etiam in re-
motiffimo feptentrione per aliquod tempus
fervidiffima fit aestas, quae in hoc climate ef-
fe non poffet, nifi montes glaciales radios fola-
res reflecterent. Hujus rei ufum norunt no-
ftri oeconomi, qui inter montes degentes
plantas majori calore indigentes, V. g. Vi-
tes ad montis alicujus radicem australem plan-
tant. Nomen inde Germanicis in ufu *Sommerholde*, *Winterholde*.

§. 53.

Regiones inter montes appellantur val-
les, quae plerumque habent aera craffum,
humidum, ingenia tarda &c. ex praecedentibus.
Ceterum ventis per varios aditus ac-
cedentibus, & innumeris mutationibus sub-
jectae.

§. 54.

Planities, fi magna eft, fertilis effe fo-
let, fi defenfa fit per fylvas; his vero fi de-
ftituatur, omnibus injuriis expofita, modo
fole exufta, modo a ventis feptentrionali-
bus conftrieta, vix aliquid boni producere
poterit.

§. 55.

§. 55.

Sylvæ utilissimæ sunt regionibus planis, quas defendunt a nimio calore, quibus humiditatem inducunt salubrem in regionibus siccis, si non nimia; ast nocivæ in regionibus depressis paludosis, & simul defendunt, a frigore nimio septentrionem versus sitæ.

Effectus sunt ii, qui in climatibus frigidis, unde fervida æstate sylvarum umbræ tam dulcia animalium asyla.

§. 56.

Regiones nudæ vide de planitie §. 54.

§. 57.

Aquæ aut *currentes*, v. g. Fontes torrentes, rivi, flumina, *stagnantes*, paludes, stagna, lacus, maria.

§. 58.


α) Aquæ fluentes quibusdam in regionibus partes minerales vehunt thermarum nomine, unde alia in his regionibus evaporationes, variae pro thermarum contentis eruendæ ex thermis; quæ ferme in omnibus regionibus, & ferme omnes examinatae sunt; sed quarum examina recensere hic longum esset. Sin vero aquæ fluant homogeneæ, regiones reddent sanas; sed si ventus non fiat, illas reddent frigidiores.

Pal-

β) Paludes, stagna, quod aera putridum mephiticum febribus intermittentibus putridis infamem generent, satis nota sunt in Hungaria, aliisque regionibus.

γ) Lacus, si fluminibus perfluentibus destituti sint; idem faciunt ac stagna, v. g. Lacus Neifidlensis, unde pisces ex ejusmodi lacubus capti plerumque putridum spirant, aut alium quemdam ingratum odorem quasi muscosum &c. sin vero magna flumina illos perflant, aequae sani sunt ac flumina: exemplo sit lacus Lemanus, Rhodani alveum ex parte Helvetiae suscipiens ex altera parte in Galliam emittens, Lacus Acronias Rheno honoratus. Mare Caspium, suscipit Volgam, nullum quidem fluvium amittere conspicitur; sed illud cum sinu persico ductibus subterraneis communicare variorum scriptis probabile redditur.

Maria atmosphaeram suam vaporibus aquosis, & salinis replent, unde in vicinia scorbutus. Ab Aprile usque ad Novembrem intra tropicos continuae pluviae, si venti a mari in alias regiones dirigant pluvias, hae pluviae etiam in aliis regionibus oriuntur; a mari ergo omnes sequuntur effectus, qui ab humiditate, sed cum illud maximam globi terraquei partem constituat,
mare



mare in variis zonis variis nominibus existit, unde etiam terrae conciliat humiditatem calidam, & humiditatem frigidam; sed effectus aeris humidi frigidi, & humidi calidi ex pathologia innotuerunt,

§. 59.

Aquae saepe etiam naturali suo lecto excedunt, si ex mari excedunt, audit aestus marinus, si fluviorum alveos superant, inundationes fiunt, cum sequela febrium intermittentium, lentarum, putridarum. Aquae ex atmosphaera decedentes. Hae in Atmosphaera quamdiu sunt ea specificè leviores fluctuantes circumagitantur nubium forma, aut terrae viciniore nebulam constituunt, hinc dum frigore condensantur, aut vento ex altera parte pellente, in aliam regionem pelluntur; aut in alia regione decidunt forma roris, pluviae, grandinis, pruinae, nivis; quod ab hisce evacuationibus magnus influxus in terrae fertilitatem eruatur, quod vero etiam morbi oriantur, notum est iis, qui rheumatismos, catarrhos, coryzas, aliosque suppressae perspirationis morbos experiuntur.

Scholion. Hae pluviae quibusdam regionibus ita propriae sunt, ut non absurdas pluviarum praedictiones formari probabile sit, licet hic scientiae ramus diu plebi rusticae relictus magnos passus

sus haud fecerit. Unde illa, in quacunque regione Medicis, & oeconomis maximopere commendanda esset.

§. 60.


Venti ex variis causis sublati in aëre aequilibrum originem trahentes, sed cum inter tropicos constanter ab oriente, occidentem versus solis, ut ita loquar, cursum praecedant, illos magnam partem a calore climatis dependere videmus. Effectus ventorum sunt aut boni, si noxias partes auferendo aëra depurant, aut regiones nimis calidas mitigent, sed sunt etiam noxii in regionibus aliunde nimis frigidis, aut si aëra noxium pestiferum nobis adferunt, ita ut si ex vicinis venenata veniant, morbos praedicere possimus exemplo Hip. de peste interrogati.

§. 61.

Aer stagnans ideo nocet in populosis civitatibus aut quibuscunque locis impuris, quod nunquam renovetur, adeoque eundem semper inspiramus, ejus noxae sunt, quae ab aëre mephitico, nempe suffocatio.

§. 62.

a) Vapores, aut Minerales v. g. Arsenicales, plumbati illitoribus colicam pictorum generant, sulphuris fumus suffocat.



β) Vegetabiles e. g. Aromaticae ita in atmosphaeram agentes sunt evaporationes, ut nautae ex solo odore se insulae Zeylon appropinquare sciant.

γ) Plantarum antiscorbuticarum putrescentes; *Aliae* aliarum plantarum,*) quae ambulantes vespertinis horis maximopere reficere solent.

δ) Animales plerumque toxici, ut Ingenhousii abunde commonstrant experimenta, ubi major noxa sensibilis, ibi major est evaporatio E. g. In fimetis, stagnis, stabulis, in magnis hominum caetibus, quod optime sentiunt delicatiores, ne uxores praecipue in castris, nosocomiis, carceribus.

ε) Brutis in lue grassante negligenter inhumatis, qua de re edictum regis Borussiae promulgatum erat.

§. 63.


Lunae phases, aliorumque corporum coelestium. His quidem eam in nos vim tribuere non possum, quam superstitiosa plebis opinio tribuit; at non omnem vim illis dene gandam esse, aestus marinus ab inaequalitate actionum lunarium productus, uti ex Physicis constat, & frigus atmosphaerae circa

*) Cell. de Jacquin Anfangsgründe der medicin. praktisch. Akadm. §. 9. 3.

ca Plenilunium auctum, aliaque Phaenomena monstrant;

§. 64.

Sed hae qualescunque aeris proprietates, vel integris Zonis, vel singulis regionibus propriae, aut magis nocivae aut salubriores redduntur, prout varia anni tempore e. g. Aestiva loca humida depurant, aut sicca ficciora reddunt, & calidiora humida depurant, & calefaciunt, at hyemes loca frigidiora reddunt, aut sicco aut humido frigore, prout est hyemis mollities, aut siccitas. Aut ver, autumnusque pluviis plerumque ingruentibus loca ficciora corrigunt, humida deteriora faciunt. Unde variae mutationes ab anni tempore, sed cum hae non per totum annum, ut illae climatis perdurent, earum effectus in mutanda corpora firmiora non adeo manifesti sunt; sed cum omnibus annis saepius mutantur, eo manifestiores sunt in producendis morbis, qui ideo morbi anni temporum dicuntur. A celeb. Professore de Stoll autem tria praecipue ejusmodi morborum genera, quae diverso anni tempore observare licet, statuuntur, sunt autem: inflammatorii hyeme, biliosi aestate, pituitosi vere & autumnò. Sed non omnibus annis, aut aestatis, aut hyemis eadem intensitas est, ut calor,



& frigus consueto ordine decurrant; sed pluribus hyemibus, aestatibusque succedentibus inter se computatis, aut aestas, aut hyems aut siccitas, aut humiditas praevalet, ut dum aestatem fervidam autumnus calidus excipiat, hunc hyems austrina, & ver tale sequitur, febres cardinales superius enumeratae tramite regulari se non excipiunt; sed grassabitur una ex his, nempe biliosa, reliquasque in suam potestatem rediget, quae stationaria febris Sydenhamo audit, nollem tamen hoc ita strictè intelligi; cum ipsa stationaria ab annuis febribus diversimode modificetur.

§. 65.

Cum Cell. Stollii Methodus medendi omnium ferme in manibus sit; ille vero atmosphaerae gravitatem & calorem & tempestates omni mense & die exactè notavit, morbosque Viennae inde sequi solitos adcurate descripsit, nihil hic de anni temporibus commemorare volo.

§. 66.

Quos raptim hic adscribam morbos in variis climatibus frequentiores, non tanquam catalogum; sed tanquam exempla pro variis in decursu dissertationis dictis adferam.

Morbi a frigida, humida lenta sanguinis massa hi potissimum sunt, imo *febris inter-*
mit-

mittens in depressis udis locis v. g. in Hungaria, tempestatibus potissimum autumnalibus, & vernalibus.

Anginae pituitosae, Coryorza, catarrhus, quos inter *catarrhus Russicus* trienio abhinc ex Moscoviae imperio per omnem Europam invasiones suas prosequabatur.

Cataracta pituitosa, gravis auditus ex muco praesertim in senibus mollioribus.

Rheumatismi potissimum ex subito transitu tempestatis calidae in humidam, tumores lymphatici, sexus potissimum sequioris Viennensibus puellis praecipue in chlorosim tendentibus fatis noti.


Aphtae in Belgio, quam in aliis regionibus frequentiores.

Scrophulae, etiam malum regium dictae, in Britannia copiosissimae.

Rachitis in civitatibus populosis, praecipue in habitationibus humidis, in Anglia potissimum praedominans; unde etiam morbi Anglicani nomine venit.

Scabies in locis spurcis.

Scorbutus in Hollandia, Anglia, in genere in oris maritimis, ubi salibus in atmosphaera contentis summa humoribus conciliatur acrimonia, eorumque dissolutio, haemorrhagia, solidorum erosiones.



Hydropes varii, leucophlegmatia, anasarca, hydrocephalus, hydrothorax, ascites, spina bifida, hydrocoellae. Hi morbi cum aliis affinis in locis humidis magis saeviunt.

Morbi ab humoribus bene compactis hinc in inflammationem aut in morbos chronicos prioribus, hi sunt inflammationes variae.

Phrenitis, & inde Mania tam frequens in Aegypto.

Lippitudo, *Ophthalmia* in Africa tam frequens, ut homines lucem exosi diem in locis subterraneis agant, & noctu tantum in terram prodeant, trogloditae appellantur, sive etiam homines sylvestres.

Anginae inflammatoriae, *Peripneumoniae*, *Pleuritides*, *Paraphrenitides*, *Enteritides*, *Nephritides*, *Cistitides*, *Metritides* &c. Haec mala potissimum sunt hyeme rigida, sicca, praesertim in regionibus elatis.

Febres biliosae aestate provecta in Germania, Italia, Croatia in conspectum veniunt: Icterus seu morbus flavus Jamaicae. Flavedo haec tamen multis syncratica quidem, sed jam in limitibus posita. Inde *Erysipelades*, *Diarrhaea*, *Dysenteria* &c.

Morbi indolis putrescentis in regionibus varias partes soventibus vide §. 62. praecipue in quibusdam regionibus, unde Mantua, olim

olim etiam Hungaria Germanorum exerciti-
bus adeo noxia. Referenda sunt huc syno-
nima febris putridae, nempe quorundam,
Febris urbium obsessarum, febris castrensis,
Nosocomialis, Carcerum, Hungarica, Nau-
tarum, Pedecbisans, Pedechialis, Scarlati-
nosa, Miliaris, Typhus, putridobiliosa,
Verminosa.

Malignae, Pestis in Turciae populosis
civitatibus e. g. Constantinopoli, Smirnae
quotannis ferme regnans.

Morbi proprii, ex particulis heterogeneis
atmospherae inhaerentibus, *Colica, Sidera-*
tio, Paralysis, Contracturae ex atmosphaera
plumbata, unde etiam Colica Pictonum dicta.

Morbi aurifabrorum ex Atmosphaera
hydrargiri vaporibus repleta. Tremor ar-
tuum, totiusque corporis.

Calculus pulmoralis Viennensis & lapi-
cidarum ex pulveribus inspiratis cum aere.

Phthisis praecipue molitorum, pistorum,
crispatorum ex pulveribus haustis.

Unde *Haemorrhoides* in Austria solito
frequentiores? universim optandum esset, ut
quilibet physicorum celeb. hujus viri exemplo
in territorio sibi assignato morborum tabu-
las de die in diem sibi conficiat, omnesque
in



in iis atmosphaerae mutationes exacte describat. Sane exinde summam posteris utilitatem non tantum medicam, sed etiam oeconomicam nascituram confido; ego certe, quam primum locum constitutum mihi aggre-
di contigerit, hac in re meis partibus pro viribus adero.





THESES.

I.

Simpliciora remedia in curandis morbis sunt praeferenda compositis.

II.

In febribus putridis non semper pugnandum antisepticiis.

III.

Infitio variolarum suadenda potius, quam dissuadenda.

IV.

Defectus menstrui fluxus non est certum signum foeminam generationi ineptam esse.

V.

Fluxus nimii menstrui causa male in plethora semper reponitur.

VI.

In aegro ex variolis malignis jam reconvalescente prognosis non statim laeta formanda erit.

VII.

VII.

Acrium particularum eo minor est actio, quo velocior est motus progressivus fluidi, in quo soluta haerent.

VIII.

Cognitio chorographica loci Medico practico summe necessaria est.

IX.

Si venaesectio, & emesis simul indicentur, illa huic praemittenda est.

X.

Maniaci, epileptici a societate praecipue gravidarum excludendi sunt.

XI.


Morborum quorundam haereditas in filios, nepotes, inque feram posteritatem transplantatur. Hinc non neganda.

XII.

In hydrope faccato convenit potius symptomatibus prospicere, quam multis medicamentis humores solvere.

XIII.

Cortex peruvianus in multis febribus intermittentibus non necessarius, quin imo nocivus est.



Math. Haller

Dip

In Neuchâtel

Vindobon

aus: Eyraud & S. und

Stollion Land.

jo Satoru

chp

L. Catoorha

U. Jober

reus - Egentlich und

Hollin vol. 1.